



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Pluvia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE ARANEO. CAP. XLVII.

Importunum forte videatur insectis his, atque iisdem volatilibus Araneum aggregare: sed traxit me bestiolæ levitas propemodum volatilis, ut inter hæc locum ei constituerem. Præterea, veluti nullus est illi angulus impervius, haudquaquam ulla erit invidia, si hujus quoque commentarii angulum occuparit.

INANE OPUS. CAP. XLVIII.

EX carmine quidem Catulliano, per Araneum inane opus, nulliusque pretii aut momenti rem significari didicimus, ubi de se ipse jocatus ait:

— Nam tui Catulli

Plenus sacculus est Araneorum.

Quod sibi desumpsit Lucianus in Pseudologista, ἐργῶν ὅτι καὶ ἀραχνοῦν ἰσχυρῶς, carie & araneis opibus. Verum & ex historia sacra scriptoribus, significatum, idem Præsulibus nostris non improbatum accipimus. Eo siquidem tempore atque hora, qua Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, & Macarius, & Pyrrhus, & socii qui unam in Domino nostro Jesu Christo naturam & voluntatem assererebant, centum & quinquaginta Præsulum sententia damnati sunt, plurimæ Araneorum telæ, maxima omnium admiratione, in medium populum ceciderunt: ex quo significatum est, eas hæreticorum sordes Araneorum instar inanes fuisse, eoque conventu solemnique judicio dissectas esse. Nonagesimo sane Psalmo de infirmitate hujusmodi legas: *Anni nostri quasi Araneæ reputantur*: nam ea magna cura & ingenti labore contextitur, ob tenuitatem vero minimo quolibet occurfu dissipatur. *Psalm. 90.* Alio Psalmo: *Tabescere fecisti velut araneam animam meam*, super eadem imbecillitate humana dictum volunt. Et earum telæ, ut Eucherius, concupiscentiæ nostræ opera sunt, quæ nulla densantur soliditate, venti cujuslibet humani injuriæ exposta. Apud alios ita interpretatum invenias: *Exile admodum animal est Aranea, & anima flagellus & amaritudine conscientie percussa macerata, attenuari videtur*: contra, cum genio dat operam, *Pinguescere dicitur, & opiparè saginari*. Sunt qui ex Hebraico non Araneam, sed Tineam hic ponant.

PLUVIA. CAP. XLIX.

Alioqui tela hujusmodi futura indicium est pluviae: quod animal id sereno texere quodammodo vereatur, non ignarum serenitatis tenuem magis ac perflatibus obnoxium esse aerem, quibus ambobus opera sua dissipari contingit: nubilum vero, utpote crassiorum glutinosiorumque, ejus operis tenuitati commodiorem experitur.

LEGUM INÆQUALITAS. CAP. L.

Vulgus vero non inepte per Araneorum telas & retia, apto admodum hieroglyphico legum notat inæqualitatem? propterea quod veluti Muscæ & volatilia alia pusilla si in eas incidere capiuntur & pereunt, fortiora vero animalia perrupto texto facile quoquo libuerit elabuntur: ita leges imbecillam & tenuem plebeculam cohibent atque castigant, potentioribus vero nihil adversatur, qui eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant, & resigunt. At non ita Antiochus tertius, qui civitatibus sibi subditis scripserat, ut si quid umquam per literas mandasset quod legibus adversaretur, ne curarent, tamquam illud esset se nesciente scriptum.

DIALECTICA. CAP. LI.

PER Araneas Ariston Chius Dialecticorum sermones intelligebat, quæ quidem artificiose admodum elaboratæ essent, nulli vero inservirent usui. Eandem idem disciplinam ceno in viis jacenti assimilabat, nulli quippe utilitati esse, ingredientibus autem & impedimento & molestia. Idem eos qui disciplinæ huic operâ curiosius darent, iis qui Cancros largè vescerentur similes esse dicebat: exigui

Huc spectat illud Aristoteli apud Festum, *Tamne arcula tua est plena araneorum?*

Mystica Araneorum explicatio.

Psalm. 90.

Psalm. 34.

Provolant si dies mihi sit futurus, prædixit enim sicutos imbre reg. Plin. lib. 11. cap. 10.

Hoc ab Aristoteli, vel à Solone Valer. l. 7. cap. 2. Diogenes Laert. libro cap. 3. Plutarch. in Apopht. Opinio Aristonis de Dialectica.